Mi charissime gener.

Spero, te jam accepisse, quae misimus. Quod ultimis his petis, ut de Auriam iterum moneam, id necesse non fuit. Nudiustertius egrediebar domo. ibi D. Auria ante fores erat. is me compellavit, & ~~ostendit~~ verbis affinis sui & sororis salutavit. Significavit etiam, differre adhuc concessionem vocationis Arnemudanae donec abeat, qui in Indiam profecturus est. Suspicionem etiam pro fratre laborare, ostendit. sed eam rem carere periculo. Accessit tum in via Judaeus, cum quo locuti sumus ante fores ultra horam. Noluit ingredi D. Auria, quia alio intendebat. Narrabat colloquium suum cum D. Smitten Harlemensi de me, non ingratum. Quum Walaeus huc venerit, se cum ipso etiam locuturum, dixit. Denique is totus noster est. Heri apud me fuit D. Vander Hagen. qui mihi literas perlegit D. Huberti cognati tui. qui gratias ei agebat, quod tibi faveret. Simul conquerebatur de ambitu Zelandorum. Spondebat autem operam suam. Vander Hagius mihi retulit, jam Harlemenses incipere legere mea scripta. Si de rebus Academicis quaeris, Vocandus erat Deusingius in locum D. vander Linden. Rector is eo die mortuus est, quo ultimo de ipso actum est. Rectorem nacti sumus ex facultate Medica Florentium Schuylium. Ego inter Assessores sum. quod nollem. Curatores & Consules in Senatu nostro fuerunt, & proposuerunt problema de minuendis feriis nostris. quae propositio cum indignatione excepta est. Deliberamus de ea. Necessaria est, major utilitas studiosorum. Dabit Deus his quoque finem. Legi epistolam Latinam Caroli ad Zelandos. in qua agit de mutandis captivis, & benigne admonet dum loquitur; seque propensum esse ad excipiendas propositiones pacis declarat, neque causam belli penes se esse, sed inter ipsos quaerendam esse, i.e. in Hollandis. Credo, cupit dividere provincias. Quid agatur aut actum sit in Brabantia, credo te melius, quam nos scire. Sine dubio Willemstadium fuit aut est scopus illius expeditionis. Spero, nostros, aut Deum potius, pro nobis vigilaturum. Nos mediocriter valemus, Dei sit gratia. Id vobis optamus. Valete. Lugduni d. 24. Feb. 1666.

Vestri amantissimus

Joh. Cock.

Reverendo et doctiſsimo
viro D. Guilielmo Anslaro
V. D. M.

Birſlinga.

Te bestellen ter Goes,
tenhuyse van Mons.r
Adriaen Kuijsvma-
ker Vleeschhouwer
op de Korckstrate:
of anders op Biee-
selingen.